



## CAP. XVIII.

De proximis non temerè judicandum.

Matth. 7. n. 1. Nolite judicare, ut non judicemini.

Ibid. num. 2. In quo enim iudicio judicaveritis, judicabimini, &amp; in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

## VERSIONES.

D. Aug. lib. 2. Nolite judicare, ne iudicetur de vobis; in quo enim iudicio judicaveritis, judicabitur de vobis.

Euthymius. Et qua mensura metiemini, remetietur alij vobis.

Exradice Græca, &amp; Hebraica. Qua mensura mensi fueritis, vicissim metietur vobis, seu par pari, referetur.

## ALTER TEXTUS.

Lucæ 6. n. 37. Nolite judicare: &amp; non judicabimini; nolite condemnare, &amp; non condemnabimini.

Marc. 4. n. 4. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

## EXPOSITIO.

1. Qui temerè judicat, temerè judicatur.

August.

Maldonatus. Tertull. Chrysost. August. Hieron. Paschas. Euthym.

**N**OLITE judicare. Ne iudicetis quemquam temerè & detractoriè: nam de privatis hominibus est sermo, ut dicam *quæst.* 2. & non constituti sitis aliorum iudices sed socij; ne ergo translati ordinem vestrum, ut iudicando, malam de proximis opinionem habeatis. Ut non judicemini, severè à Deo, ut ejus exactam, & rigidam sententiam experiamini: ipse enim, cum sit justus iudex, nihil impunitum relinquit. Et temerè, Dei iudicio permittente in poenam tuæ temeritatis, ut homines fiant tuæ vitæ censores tales, qualis tu extitisti alienæ. Rectè ait hic Augustinus: *Temeritas, qua punis alium, ipsa te punit: nocet semper iniquitas injuriæ faciendi.* Maldonatus hic addit: Nolite condemnare, & non condemnabimini: sed nec nostra vulgata, nec Græca exemplaria, nec Tertullianus lib. de patientia, nec Chrysostomus, nec D. Augustinus, Hieronymus, Paschasius, Euthymius,

Theophylactus, Hilarius, Anselmus hoc habent, sed tantum illud legitur in textu *Luce 6. num. 37.*

In quo enim iudicio judicaveritis, judicabimini; Temerarius quali enim iudicio vos fueritis in alios, tale & temerario vos subibitis: si severo, & rigido, tale & vos à iudicio punitur. Deo reportabitis; si temerario, temerarium, & detractorium, ac infamans apud homines invenietis: *Psalm. 7. nictis: Convertetur dolor in caput ejus, Psalm. 7. n. 17. Væ tu, qui pradaris, nonne & tu praderis, Isai. 33. n. 1. Si autem aliorum facta benevole, & amicaliter accipias, omnia in bonam partem referendo; etiam benevolam, de tuis dictis, & factis, iudicium Dei, & hominum excipies. Et iniquus, per qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Est iudicatur.* pro verba sententia, mensura pro mensura, par pari relatum significans; quali enim modo, & mensura judicaveris alios, talis & tu vicissim judicaberis, ut proximè est explicatum. In quo loco linxerunt canes sanguinem Naboth, & Jezabel lambent *3. Regum 21. num. 23.* David dormivit cum uxore proximi sui, ait ei Deus: *Tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxore tua in oculis tuis. Reg. 12. Solis hujus, 2. Reg. 12. n. 11. Exaquabit gratiam gratia, Zachar. 4. num. 7.* Quando autem hic dicitur mensura pro mensura, intelligendum, ut observat Franciscus Lucas, de mensura, non æquali, sed simili; Dei enim censura, sive severitas, sive benignitas, longè nostram superat.

## QUÆSTIO I.

De connexionione hujus sententiæ cum superioribus.

**P**ROSEQUITUR Dominus suam admirabilem sermonem in monte. Et quantum ad connexionionem horum verborum cum superioribus, Imperfectus *hom. 17.* existimat, quod hæc consequenter fuerint dicta ad orationem Dominicam: *Dimittite nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui enim non iudicat proximum propter peccatum commissum in ipsum, sed dimittit, etiam Deus non iudicat eum ad damnationem, sed dimittit ejus debitum. D. Augustinus vero lib. 2. de *serm. Dom. in monte, cap. 17.* in fine superioris capituli ait, prohibuit Dominus sollicitudinem temporalium. Admonet ergo hic, ut temporalia contemneret, ne iudicent malè de quærentibus; nam illa bono, vel malo fine quæri possunt, & de proximis, quantum fieri potest, semper præsumatur bonum. Sic ait Paulus *Rom. 8. num. 3. Qui non manducat, manducantem non iudicat.* Tertio, Abulensis ait, quod in antecedentibus Christus ordinavit nos, dirigendo in Deum affectionem nostram, hic verò regulat affectum nostrum erga proximum. Alium modum explicandi hanc connexionionem ex D. Hilario apponam *quæst. sequentis,* quamvis hæc probabiliter sint dicta.

Tamen observandum est cum Recentioribus Janenio, Maldonato, Beaulxame, Barrada. In Janenio, Maldonato, Beaulxame, Barradas, omnibus non semper debemus esse sollicitos in connexionione rerum cum superioribus; siquidem in concione de diversis rebus tractari solet, quas omnes non oportet esse concatenatas; ab una enim

## Cap. XVIII. De proximis non iudic. 451

Sape evangelista ordinem temporis non observant.

enim re ad aliam sit transitus omnino diversum. Deinde incertum est, an sententiæ prolatae in concione, eo ordine ab Evangelistis referantur, quo à Domino dictæ sunt. Quemadmodum enim in describendis rebus, & factis ordinem temporis sæpe non tenent, quo factæ sunt, ita etiam fortè in concionibus referendis seriem verborum, quæ eruta sunt, non retinent. Ex quo primo patet responsio ad quandam objectionem, quam aliqui excitant, teste Abulensi *quæst. 1.* Quomodo Matthæus, & Lucas tam diverso ordine narrent hunc sermonem? Sed ad hoc facilius est responsio, quod sunt diversi sermones, diversisque temporibus habiti. Vide *cap. 10. quæst. 1.* ut ibi dixi.

Abulens.

## QUÆSTIO II.

De quo iudicio Dominus hic loquitur?

5.

Joan. 10.

6.

Chrysost. Euseb. Emis. Hugo.

Iudicemus proximis cum misericordia.

Paulinus.

Caralitan.

Prælati non sit in alios severus, &amp; in se suavis.

7.

Hilar.

Irenæus.

Abulens.

De dispositionibus divinis non iudicandum.

**D**UPLEX est iudicium, unum publicum, alterum particulare. Certum est, quod Christus Dominus hic non prohibet publicum iudicium Prælatorum, Regis, ac Senatus quo condemnat reos, & absolvit innocentes; nam hoc est necessarium in omni republica. Et Christus Dominus constituit suos Apostolos iudices, *Sicut misit me vivens Pater, ego mitto vos, Joan. 20. num. 21.* Et quocumque solveritis, aut ligaveritis super terram, solutum, aut ligatum erit in celo. Et Patrus iudicat Ananiam, Paulus Corinthios, Quæstio præsens est de quo iudicio hic loquitur Dominus?

Primo etiam de iudiciis locum interpretantur D. Chrysostomus *homil. 4.* Noli utique iudicare, hoc est, noli effici iudex amarus. Eusebius Emisenus, Hugo & alij. A Domino ait Eusebius iudicandi licentia non aufertur, non iustitia prohibetur sed temeritas, ambitio, ac crudelitas interdicitur. Tale est igitur, ac si diceret Dominus: Nolite iudicare sine misericordia, ubi misericordia haberi ac custodiri potest: Nolite præcipites esse, expectate, dum ira transeat, diu deliberate sententiam, ut nocentes, & impios condemnetis. Iudex es constitutus: esto compatiens iudicandis, & reos iudica misericordia, veritate, ac prudentia, & præcipitatum, celeratunquæ iudicium devota. Secundo D. Paulinus *Epist. 12. ad Severum,* & Lucifer Caralitan. lib. 1. pro S. Athanasio, præsentem sententiam interpretantur de pastoribus, ac iudicibus, qui auctere, & severe se habent in suos subditos, ac in alios; in se verò, ac in suis toto placido, & quieto animo sunt, & nil rigoris volunt experiri. Tertio Rupertus: Nolite iudicare fratrem vestrum cum odio, ac mala voluntate: nam qui ita iudicat, rigoroso iudicio judicabitur. Et his omnibus dicitur: Nolite iudicare tali iudicio, ut simili non iudicemini.

Secundo, D. Hilarius in *Matth. D. Irenæus lib. 4. c. 49.* Abulensis *quæst. 1.* locum interpretantur de divinis sponsonibus, ac proximis. Dixerat Dominus in fine superioris capituli: Nolite solliciti esse, sicut enim Pater vester, quia his omnibus indigetis; quia verò interdum videmus, aliquos homines penuriam pati, fame, ac siti vexari: tunc quis dicat: Ecce quomodo Deus non adimplet promissa sua; hoc tamen iudicium

Deus vetat, quia nos non possumus capere, cui Deus singula faciat, & sic non possumus intelligere, quando, vel quomodo promissiones suas observet, nec possumus apprehendere investigabiles vias ejus.

Tertio, D. Hieronymus *hoc loco, D. Chrysostomus homil. 24.* qui ait. *Hic generaliter peccata omnia non prohibuit iudicari: sed his profectò solis, Chrysost. qui, cum flagitiis abundem innumeris, alios de levissimis quibusque delictis tota temeritate condemnant.* Et Euthymius: Monet, scilicet Dominus, ne qui propria debent inspicere, ac seipsos ad iudicare, inspiciant aliena, ac dijudicent alios. Arguuntur illi, qui cum multis criminibus sint implicati, sua qui cum multis delictis non vident, ut seipsos iudicent, sed alios acriter, & amare, etiam de levioribus condemnant. Et ita ait infra: *Quid vides festucam, &c.*

Quinto, Est probabilior, & verior sententia, quam tradunt: D. Basilii in *reg. brevior. resp. 194.* D. Augustinus lib. 2. de *sermone Domini in monte cap. 17.* & *sermone 102. de tempore.* D. Ambrosius *cap. 6. Lucæ & sermone 20. in Psalm. 118.* D. Paschasius lib. 4. in *Matth. hie Beda, D. Anselmus, Albertus Magnus, S. Thomas 2. 2. quæst. 60.* Qui omnes præsentem sententiam de iudicio temerario interpretantur. Et ita hac doctrina instruitur, ut ea facta, quæ dubia videntur, in meliorem partem accipiamus. Et in hunc sensum explicant ea verba: *Quid vides festucam in oculo vitæ hominis tui.* Sunt enim multi, qui aliorum minima vident & tanquam magna iudicant; cum aliorum opera debeamus inspicere pio, & benevoloculo, & non malevoloculo, inimicòque animo. Unde Chrysost. pulchrè dixit D. Chrysostomus: *Væ autem etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.*

Optimè tamen advertit D. Augustinus lib. 2. de *sermone Domini*, quod prohibemur, de aliis iudicare, quando facta sunt dubia; non verò quando opera sunt manifesta, signa clara & nota. Et ita dixit Christus Dominus infra in hoc cap. 7. *A fratribus eorum cognosceris eos;* quod, ait Augustinus, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri: sicut sunt stupra, vel furta, vel ebrietas, & alia similia, quæ sunt materia correctionis fraternæ, quæ hic non prohibetur, ut notat D. Irenæus lib. 4. cap. 49. Correctio autem fraterna esse non potest sine prævio iudicio.

Huiusmodi mala suspicio, ac temerarium iudicium maxime fugiendum est; fomentum enim est odij & charitatis, ac amicitie venenum. D. Bonaventura stimulo amoris cap. 10. *Est, ait, hac mala suspicio occulta pestis, sed gravissima; qua Deum fugat, & fraternam lacerat charitatem.* Pro charitatis confirmando hoc argumento multa præclare D. August. *Augustinus serm. 102. de tempore.* Et communiter Doctores ad illa verba Pauli *Rom. 14. n. 4. Tu quis es, qui iudicas alienum servum.*

Postquam providus Paterfamilias seminavit bonum semen in agro suo, inimicus homo supereminavit zizania, quod videntes servi dicunt Domino: *Visimus, & colligimus ea?* Quibus ille ait: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & iradicetis: sicut utraque crescere usque ad messem.* Matth. 13. num. 28. Iniectum est Matth. 13. malum in medio tritici, & tamen bonus pater non vult, ut evellatur. Quomodo cohæret hæc 1. Cor. 5. sententia cum illa Apostoli 1. Corinth. 5. n. 13. *Auferite malum ex vobis?* Optimè sanè omnia



In dubiis  
proximorum  
factis, absti-  
nendum ju-  
diciū.  
Pascual.

conveniunt. Nam Apostolus loquitur de mani-  
festis criminibus, de quibus licitum est judicare,  
Christus Dominus autem de dubiis; nam zizania  
quamdiu herba, magnam similitudinem habet  
cum tritico. Quod præclare explicat D. Pascha-  
sius lib. 7. in Matth. Illud Apostoli, ait, *Auferte*  
*malum ex vobis. huic loco contrarium sonare vi-*  
*detur; sed aliud est, de manifestis, apertisque crimi-*  
*nibus judicare in Ecclesia, aliud de his, quæ adhuc*  
*quasi in herba latent: nam zizania, antequam in*  
*cultum veniant, dum in herba sunt, tanta simili-*  
*tudo in eis est, ut discerni vix, aut nunquam possit;*  
*& ideo Dominus, Sinite, inquit, usque ad messem,*  
*quoniam potest fieri, ut quod hodie zizania videtur*  
*eras triticum fiat, & quod ad præsens apparet tri-*  
*ticum, in futuro veritatem in lolium, dum alium*  
*protrahitur in specie, & aliud ministratur in*  
*flore.*

### QUESTIO III.

De quo judicio, ac mensura intelligenda sit  
præsens sententia?

13.  
Orelicus.

**S**ANCTUS Orelicus de institut. Monach.  
Que est ista justitia: ait, ut fratres labore  
assigamus, & ipsi omo vacemus; aut imponamus eis  
jugum, quod ipsi ferre non possumus. Legimus in  
Evangelio. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur*  
*vobis; unde & laborem, & refrigeria cum ipsis ha-*  
*beamus communia; & ne discipulos servos putemus,*  
*& illorum tribulatio sit nostra letitia.* Præsentem  
sententiam prælati dictam intelligit, quod illo  
judicio, ac mensura, qua suos subditos tractave-  
rint talem mensuram, & judicium apud Deum  
invenient. Quod existimat dictum ad reprimen-  
dam insolentiam molitorum Prælatorum, qui  
suos subditos, non filios, sed servos reputant.

Prælati agunt  
cum subditis  
non ut cum  
servis.

14.  
August.  
Beda.

Secundò, D. Augustinus lib. 2. de serm. Domini  
cap. 17. Beda, sic hanc sententiam explicat,  
ipsummet nostrum judicium temerarium, ac in-  
justum, quos alios judicamus de nobis esse ju-  
dicaturum, id est, causam futuram, ut de no-  
bis judicetur. Tertio, D. Chrysostomus homil.

Chrysost.  
Rom. 2.

24. quod, qui aliena facta aut dicta judicat, pro-  
pria sua, si similia faciat, aut dicat, eo ipso ju-  
dicat, à Deoque suo proprio judicio judicabitur.  
Quod dixit Paulus Rom. 2. num. 1. *Inexcusabilis*  
*es, o homo, omnis, qui judicas: in quo enim judicas*  
*alterum, te ipsum condemnas, eadem enim agit,*  
*quæ judicas.* Unde advertant illi, qui ita temerarie  
judicant, quod in manibus eorum ponitur, quid  
eis sit eventurum; ac proinde supplicia suis pro-  
ximè adjudicata ipsi patienter sustineant. Quod  
elegantè dixit Chrysostomus citatus: *Ut diligen-*  
*tius, ait, peccata examinentur tua, legem primus*  
*ipse posuisti, severius de his, quæ proximus pecca-*  
*verat, judicando. Ne igitur grave esse credideris, si*  
*talisa sustineas etiam ipsius supplicia.*

In eo, quo  
quis alterum  
judicat, se ip-  
sum judicat.

Chrysost.

15.  
Vera senten-  
tia.

Quarta, & vera sententia, quam secutus sum  
in expositione, quod eo modo, quo quis judicat  
suum proximum, & ipse judicabitur, & tale judi-  
cium ipse inveniet apud Deum, & homines, ut  
fatis in expositione explicavi. Apud Deum infal-  
libiliter, cum ipse sit universalis omnium iudex.  
Apud homines verò, ordinariè loquendo, Deo  
sic permittente. Et quamvis hoc secundum, ut

adverti, ut plurimum sit verum, non tamen sem-  
per. Nam Christus, Apostoli, ac Domini disci-  
puli neminem malignè, ac temerè judicarunt;  
& tamen injustè, & perversè à Judæis, à Diabo-  
li ministris judicati, ac damnati sunt. E contra  
aliquando fieri potest, ut advertit Toletus in cap. Tolet.  
6. Luc. annotat. 67. quod ille, qui alios judicat, non  
judicetur in hoc mundo ab aliis hominibus, ut  
confirmari potest multis exemplis de illis, qui  
opinionem sanctitatis decesserunt, quod Deus ob  
occulta arcana suæ sapientiæ aliquando permit-  
tit. Sed hi incidunt infallibiliter in manus judi-  
cij Dei viventis, ut iusta mensura, suis delictis  
proportionata, pœnam recipiant.

### QUESTIO III.

Quomodo inferni pœna sit ad mensuram pro  
judicio temerario?

**D**UBITANT D. Augustinus lib. 1. de civita-  
te Dei c. 11. D. Paschasius lib. 4. in Matth. August.  
Albertus Magnus, D. Thomas, Abulensis quæst. Paschas.  
3. & alij. Verbis Augustini proximè citato loco  
dicam: Dicunt aliqui, quomodo verum est, quod  
ait Christus: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur*  
*vobis: si temporale peccatum supplicio puniatur*  
*æterno.* Temeraria, & injuriosa suspicio de pro-  
ximi crimine, brevis & temporalis est; ac pœna  
inflicta à Deo est æterna, & nullo durationis  
termino circumscripta. Quomodo ergo mensu-  
ra est æqualis? Respondetur cum D. Augustino  
citato loco. D. Gregorio 5. *Dialogorum cap. 44.* D.  
Thoma 1. 2. quæst. 87. art. 3. & etiam hoc loco  
in Matth. & optimè explicat N. Petrus Cornejo  
tom. 2. tract. 6. quæst. 18. disp. 4. dub. 1. num. 4. quod  
peccator, dum mortaliter delinquit, avertit se  
à Deo infinito bono: ergo, ait D. Thomas, in-  
finitè puniri debet. Deinde, quia ipsum peccatum  
ingerit maculam, quæ quantum est ex natura sua,  
irremissibilis persistit: ergo inducit reatum pœ-  
næ æternæ. Alias rationes tradunt Theologi ad  
citatum locum 1. 2.

Illud hic peculiariter est advertendum, quod,  
dum Christus Dominus egit de temerario judi-  
cio, facit mentionem de mensura æquali: *In qua*  
*mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Et mo-  
raliter explico locum. Quomodo æterna dam-  
natio gehennalis ignis, est æqualis mensura uni  
pravæ temporali suspitioni? Inferno nihil du-  
rius, nil acerbius, ac ignominiosius; quomodo  
mensura ad mensuram? Ingenioso viro fortè  
tam rigidum tormentum, tam ignominiosa qua-  
res ac gehennalis flamma, injuriosa sui suspicio,  
infamiæque sui nominis devagata, qua maxime  
torquetur, ac dedecoratur, ut qui eam intulit,  
pro æquali mensura, æternas inferni pœnas,  
ac probrosam ejus damnationem suscipiat, at-  
que sustineat.

Temeraria præsumptio, malignaque audacia  
Core, Dathan, & Abiron se crexerunt contra  
Moysen, & Aaron, affirmantes, quod ipsi se vo-  
lebant elevare, ac sublimare ob suam ambitio-  
nem ut latè ponderant Lyranus, Abulensis, Lo-  
rinus, super populum Dei; & quod cum non ef-  
ficer electi à Deo, se principes, & duces populi  
consti-

17.

Mala suspi-  
cio, quæ  
tormentum  
ac intermis-

18.

Lyran.  
Abulens.  
Lorin.

### VERSIONES.

Enthymus.

Quod autem inspicias fe-  
stucam in oculo fratris  
tui, trabem autem, quæ  
est in oculo tuo, non  
consideras.

Radix Græca.

Quid autem curiosè à  
lynceis oculis intuens  
festucam in oculo fra-  
tris, & trabem in tuo  
non animadvertis.

Varablas.

Cur autem vides festu-  
cam.

Syriacus n. 5.

Acceptor vultus, persona-  
te, educito primum tra-  
bem de oculo tuo, &  
tunc perspicies ad edu-  
cendam festucam de oculo  
fratris.

### ALTER TEXTUS.

Lucæ 6. n. 41.

Quid autem vides festu-  
cam in oculo fratris?  
trabem autem, quæ in  
oculo tuo est, non con-  
sideras.

Ibid. num. 42.

Aut quomodo potes d cœ-  
re fratri tuo? Frater, sine,  
ejciam festucam de oculo  
tuo; ipse in oculo tuo  
trabem non videns? Hy-  
pocrita, ejice primum  
trabem de oculo tuo; &  
tunc perspicies, ut edu-  
cas festucam de oculo  
fratris tui.

### EXPOSITIO.

**E**X

temeratio judicio sæpe oritur  
illicita correctio. Et ideo sicut Do-  
minus, ut notat Hugo, ab omnibus  
excludit judicium temerarium, sic  
etiam ab omnibus removel illicitam correptionem.  
Illicita tamen est correptio, quando non fit  
amore justitiæ, sed odio, ac simulatione, ut justus  
videatur, qui corripit malum, ut quando quis in  
gravibus peccatis decenter, corripit in proxi-  
mo leviora. Talis iniquus, ait Chrysostomus in  
Imperfecto homil. 18. *Quomodo fratri tuo dicis,*  
*id est, quo proposito, putas ex charitate cordis dicis,*  
*ut salves proximum tuum? Non, sed ut te simi-*  
*les justum. Si autem vere ex charitate cordis ar-*  
*gues proximum tuum, ut salves, te ipsum*  
*ante salvas. Nunquid possibile est, ut benevolen-*  
*tior sis alteri, quam tibi? Ut quid, cum te ipsum*  
*molis salvare, alterum velis? Omnis ergo Do-*  
*ctor, qui alterum in quocumque reprehendit de-*  
*licto, & ipse in eodem constitutus, non se prius ex-*  
*purgat;*

26.

Hugo.

Chrysost.

Arguitur

doctor pec-

cans, quæ

alias repre-

hendit.